Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1867

Quelle:
Copyright:

tur, *Brentius*, *Bernh. Zieglerus*, *Magdeburgum*, *Brema*, *Jonas*, *Amsdorfius*, *Melanchthon* vapulant, exaggeraturque odium, quo Lutherani in *Carolum* ferantur. De *Margaretha de Sala* legas: *Inter Heſſitas Vxor ſiniſtraria (ita enim pellex Spangenbergia vulgo vocatur) nunquam regnauit ambitioſius.*

XLI. *fol.* 272. *Philippi Melanchthonis* Epiſtola ad *Chriſtoph. de Carlwitz* Conſiliar. Electoris *Saxoniae* data 4. *Calend. Maji anno 1548.* in qua nota animi moderatione judicium ſuum de *Caroli* V. Formula exponit, *Lutherique* φιλονεικιαν obiter tangit. Incipit: *Cum de beneficio Illuſtriſſimi Principis Electoris* &c. et legitur in Collect. *Epiſtolar. Lugd. Bat.* 1647. p. 20. 8. Sub finem, ubi ait *Melanchthon: Conſiliis de bello nunquam adhibitus fui*, Noſter interſerit: *Magdeburgenſi.*

XLII. *fol.* 277. *Cenſura Pontificis ſuper Interim.* 48. Ita quidem foris adſcriptum; verum videntur potius Strictvrae in Articulos quosdam ab Electoribus et Statibus Proteſtantium propoſitos. Tale enim initium: *In Reſponſione Electorum. 1. Inauditum eſt quod ordinatus presbyter vxorem ducat et ſacrum officium adminiſtret* &c. Puncta ſunt XII.

XLIII. *fol.* 279. *12. Propoſitiones.* In margine: *Gaſp. Huberinus.* Fuit is Eccleſiaſtes *Auguſtanus*, mortuus a. 1553. His *Propoſitionibus*, quarum initium: *Cæſar non eſt Ethnicus aut Turca, ſed Chriſtianus Imperator* &c. adprobat Formulam *Interim.*

XLIV. *fol.* 281. Confecti Tituli *Joh. Friderici* et *Mauritii Saxonum*, quorum prior *Gratia dei electus* &c. alter *Gratia diaboli elixus* & quae ſunt ejusmodi frivola, nuncupatur. Adhaerent *Articuli* VI. germanici, inſcripti: *Concluſio Sinodi Ratisbo:* 49. quibus jubentur Parochi *Lutheri* doctrinam recantare, Poenam injungendam et abſolutionem a Legato Pontif. praeſtolari, Libros Lutheranos Epiſcopo tradere, Uxores et Proles amandare &c. Subjicitur nomen *Georgii Zorn a Buelach eq. Aura.* qui eo tempore *Neoburgi* in *Palat.* Gubernator erat, et 1567. obiit.

XLV. *fol.* 283. *Nicolai Galli*, cujus nomen in margine comparet, Judicium contra *Interim* germ. inſcriptum: *Ein Ratſchlag eines predicantes einer Chriſtlichen Statt* (in marg. *Regenſpurg*) 1548. *auf das Interim.* Incipit: *Ernueſte — das Buech des Interims vns von E. F. W. zuegeſtelt hab ich auch mit vleiſs vberſehen* &c.

XLVI. *fol.* 287. *Paſquillus et Scholaſticus.* Dialogus Satiricus de *Interim* ad imitationem *Donati* Grammatici, cujus initium: Paſ. *Interim quæ pars?* Scho. *Aduerbium.* Paſ. *quid eſt aduerbium?* Scho. *eſt Verbum Satanæ coniunctum cum*

verbo